



stent ? alii commendant sterum humanum contra arthritidem , aurum fulminans in rabie , ilæo , pertinaci obstructione , &c. cum tamen iners est , nisi ob salem adhærentem purget , clavum S. Ruperti tanquam præservationem universalem , amuleta varia plurimasque alias infanias.

**II<sup>mo</sup>.** Cavendum , ne in leges chemicas peccetur , de quo inferius plura.

### §. II.

*Modus præscribendi & regulæ circa formam observandæ.*

**M**odus præscribendi variat pro ratione dosis & formæ , quæ iterum variæ sunt pro ratione morbi , partis affectæ , ætatis , sexus , &c.

**Pulveres** *Pulveres* initium faciant ; hi vel interne sumuntur vel externe inserviunt pro fæculo , suffimio , balneo , dentifricio , aut quocunque alio scopo chyrurgico.

*Ma-*

*Materies* pulveris est omne corpus, quod vel per se, vel addito alio corpore in pulveres redigi potest: sic olea stilatitia, camphora, moschus, castoreum, extracta addito alio corpore in pulveres rediguntur; sapo venetus quartuplam alterius partem requirit, ut bene pulveretur, imo infantibus cum sextupla cancrorum parte præscribitur frequentissime.

*Dosis* pulverum interne sumendorum nec sit infra grana octo vel decem, nec drachmam unam excedat; ideo folia & flores ad drachmam unam præscribi non possunt, quia nimiam molem constituunt; sed neque corpora in minori dosi præscribenda sunt in pulvere, nisi vel leviora fuerint, aut cum alio constitente combinata. Sic extractum aconiti præscribitur ad granum unum additis lapidum cancrorum aut facchari granis octo; mercurius dulcis cum pauxillo facchari; sed consultius est præparata mercu-

ria-



rialia plane non in pulvere, sed in forma pillulari præscribere. Flores Zinci ab initio ad granum semis cum faccharo, magnesia, lapidibus cancrorum dabantur; in nosocomio nostro nuper ad drachmam unam ascendebatur. Kermes minerale semper ad granum semis cum absorbentibus; nam a grano uno jam sæpius vomitus visus est. Sulphur antimonii auratum & tartarus emeticus, item cum aliis. Camphora irroretur pauxillo spiritus vini, & dein ope facchari in pulverem redigitur. Ipecachuana in scopum sudoriferorum ad granum semis cum faccharo, ita moschus, castoreum & opium cum lapidibus cancrorum.

*Forma* est vel pulvis subtilissimus, vel pulvis simpliciter, vel pulvis grossus. Hic adhibetur pro suffimigiis, facculis, decoctis, infusis, cataplasmatibus, vino medicato.

Do-

*Dosis* pulverum externe applicandorum varia est: sic pro vino medicato dosis sit ab uncia una ad duas usque, pro suffimigiis ab uncia semis ad unam, pro cataplasmate varia pro ratione loci, cui applicatur: e. g. si ad totum abdomen, tunc libra una sufficit, pro thermis artificialibus libra una ad tres vices sufficit; e. g.

R. Hepat. Sulphur. libr. I.  
Sigl. pro 3bus. vicibus.

Dosis pulveris vel exacte ad pondus determinatur in iis, quæ parca dosi efficacia sunt, vel minus exacte ad cuspidem cultri, vel cochleare caffee, si sit pulvis absorbens vel roborans.

*Decoctum* est medicamentum internum, liquidum, per menstruum liquidum coctione *Decocta* paratum.

*Materies* decoctis inserviens varia est. Primo: vegetabilia omnia: radices, cortices, ligna, herbæ, folia, stipites, flores, fructus, semina. Secundo: partes animalium solidæ, ut rasura cornu



cornu cervi , eboris , testudinum , vi-  
perarum , limacum in acrimoniaaci-  
da : cl. de *Haen* in tussi convulsiva  
præscripsit :

Ry. Limac, hortens. N<sup>o</sup>. XX. co-  
que pr.  $\frac{1}{8}$  partem horæ in  
libr. una semis cerevisiæ.

Etiam pedes vitulorum & ovillorum  
decoquuntur plisis , sed male , cum  
graventur inde , & febris augeatur.  
Tertio : ex regno minerali inserviunt  
pro decoctis Antimonium , Mercurius ,  
& Salia. Antimonium in petias liga-  
tum per quatuor integras horas co-  
quitur , cui sub finem coctionis species  
lignorum adduntur. Mercurius scopo  
anthelmintico per duas horas coquitur.  
Salia sœpe decoctis solventibus ecco-  
proticis adduntur : e. g.

Ry. radic. gramin.

fruct. tamarind. — unc. I.

coq. pr. unam hor.

sub finem coction. adde

crem. tartari , Drachm. II.

*Ma-*

*Materies excipiens* est varia, aqua simplex, destillata, lac, serum lactis, acetum, cerevisia, vinum, quamvis hæc ultima potius infusioni serviant.

*Porportio* inter ingrediens & excipiens sit, ut specierum, corticum, radicum uncia una vel uncia semis veniat ad libram unam excipientis liquidi, nisi alia ex causa aliter determinanda foret, ut e. g. in radice salep & floribus Arnicæ; nam salep, si ultra drachmas duas præscribas, vomituriones & cardialgias pessimas excitet, nisi in statu soporoso & putredinis, ubi ad unciam integrum præscribebatur in nosocomio. Diximus generalem esse regulam, ut uncia una veniat ad libram unam; non nunquam tamen, si non quasi decoctum, sed veluti extractum liquidam habere velis, proportio major est, & ascendit ad libram semis usque: e. g.



R. Rad. gramin. libr. semis.  
coq. suffic. quant. aquæ per  
horam unam semis; colatur.  
libr. unius fortiter expressæ  
adde.


liquor. terr. foliat. tart. Drach. II.  
syrup. rad. 5. aperient, unc. u-  
nam semis.

*Quantitas,* In radicibus & seminibus  
pondere determinatur, in herbis ma-  
nipulis, in floribus pugillis. Herba-  
rum manipuli duo, florum pugilli duo,  
& seminum drachma una semis pro  
libra una liquidi præscribuntur. Quan-  
titatis decocti determinandæ varius &  
præcipue duplex modus est; vel enim  
determinamus copiam liquidi & ju-  
bemus, ut coquatur ad remanenti-  
am tertiae aut dimidiæ partis, vel co-  
piam liquidi sumendi relinquimus  
pharmacopæo, determinamus vero  
tempus coctionis & quantitatem col-  
laturæ. Quoad tempus coctionis te-  
nendum, quod antimonium per qua-  
tuor

tuor horas, cortex peruvianus per unam horam, radices & reliqua per dimidiam vel quadrantem horæ co-quantur. Quantitas decocti medicati ea esse debet, ut uno die absumatur, hinc non ultra libram unam semis, si vero inserviat pro potu ordinario, non ultra libras quatuor.

*Dosis* decocti singula vice absumendi determinatur, ut sumat æger bis, ter, quaterve de die, aut omni bihorio, trihorio vasculum unum, dimidium caffee, aut uncias duas, tres, ad quatuor uncias usque. Præter dosin ingredientis exprimatur quoque ejus prævia præparatio, quæ est rasura, contusio, maceratio: e. g.

Ry. Rasur. lig. quajac. unc. I.  
infund. suffic. quant. aquæ,  
vase clauso, stet in mace-  
rat. calida seu tepida per  
XXIV. hor. dein coq. pr.  
horam integrum.



Sic etiam exprimatur modus coquendi, an vase clauso, vel non clauso; collatura, an expressa, fortiter expressa, prelo expressa, clarificatio, e. g.

R<sup>f</sup>. Seri laet. leg. art. clarificati.

Decocta vel sola exhibentur, vel ad-  
duntur alia, syrups scilicet, sal, sa-  
po, roob, ita ut detur pro libra una  
semis decocti collati uncia una semis  
vel unciæ duæ aut etiam tres syru-  
pi; salium pro diversitate plus vel mi-  
nus.

Dantur adhuc quædam aliæ decocto-  
rum species, uti *Ptisanæ*, si cerealia  
coquuntur, *Pochetum*, si species re-  
manentes primi decocti statis tempo-  
ribus sumendi iterum affusa nova a-  
qua coquuntur pro potu ordinario.

*Juscula*, si partes animales coquan-  
tur, quæ si mera gelatinosa fere fu-  
erint, *juscula restaurantia* ( *Kraftsup-  
pen* ) audiunt.

In-

*Infusum* est medicamentum internum, *Infusa* liquidum mediante menstruo liquido infusione paratum.

Infusum frigidum vel calidum est. Infusio florum aut herbarum mediante aqua calida facta audit Thee, & plerumque domi fit, dum solum species ex pharmacia præscribimus. Decocto-infusum saepius fit, si talia mixta simul velis, quorum quædam coctionem, quædam vero solum infusionem ferunt: e. g.

R. Hb. althæ.

— malv. aa.m anip. I.  
coq. suff. quant. aquæ per  
 $\frac{3}{4}$  hor. sub finem coctionis  
adde fl. verbas. pug. III.  
stet adhuc per  $\frac{1}{4}$  hor. in infus.  
calida.

Infusum frigidum præcipue fit, si per vinum aut cerevisiam quidquam extrahere velis, & tunc audit vinosum,

B 3

vel



vel vinum medicatum, cerevisia me-  
dicata.

Cortex & plura alia amara forte eti-  
am optime frigide infunduntur, saltem  
major acrimoniam est in infuso frigido  
corticis, quam in ejus decocto: e. g.

R. cort. peruv. pulverat. unc. I.  
tere in mortar. marmor.  
affundendo interterendum  
successive aliquot uncias a-  
quæ, dein affunde  
agitetur saepius & stet in  
aquæ libr. I. semis,  
infusione frigida per XXIV.  
hor. dein collatur. exhibe.

Infusa frigida etiam parantur sic: im-  
mittuntur species in syndone ligatæ  
vel aquæ simplici, vel vino, aut ce-  
revisiæ.

*Materiem* infusionis constituunt herbæ,  
flores, radices & omnia illa corpora,  
quorum vis in volatili proprietate hæ-  
ret

ret. Sed etiam alia sunt, quæ quidem vires suas non in proprietate volatili, sed fixa habent, & tamen eas adeo facile dimitunt, ut sola infusione, non decoctione opus sit: e. g. fl. alth. verbasci, &c. (\*

*Quantitas infusi est, uti in decoctis, talis nempe, quæ intra nyctemorum, & æstatis tempore intra decem horas absumatur, cum alias facile corrumpetur.*

*Dosis* determinatur ab unciis duabus ad uncias quatuor, vel a vasculo di-midio ad unum usque omni bihorio, trihorio, aut omni hora. Si tota quantitas una vice absumenda sit, dicitur haustus, & præscribitur ut plurimum in scopum purgantem non ultra uncias quatuor; celebratores tales sunt: aqua laxat. dispens. vien-

B 4

nenf.

---

(\* Sic Rheum per decoctionem perdit vires suas solventes, & acquirit stimulantes: folia sennæ semper infundi, nunquam vero coqui debent.



nens, cuius unciis tribus vel quatuor plerumque drachmæ duæ vel tres salis adjiciuntur. Tum hydromel infantum ab unciis tribus ad quatuor usque ut sumat omni hora aut bihorio di- midium vasculum, donec incipiat purgari.

*Claretum.* *Claretum* est infusum sapore, odore & co-  
lore sese commendans. Flores rosarum  
rubrarum vel balaustriorum &c. cum gra-  
to aliquo syrupo claretum constituunt, uti  
conservæ infusæ.

*Julapium.* *Julapium.* Julepus est medicamentum in-  
ternum liquidum, pellucidum, sapore, o-  
dore & colore gratum, restaurans & ple-  
rumque sitim fallens.

Accipitur vel aqua simplex destillata,  
vel alia grata nervea, & miscetur cum  
syrupis gratis, eleosaccharis, succis  
recentibus acidodulcibus, e. g. a-  
qua fragorum, cerasorum cum syru-  
po ribesiorum, rubidei fragorum, &c.

To-

Tota quantitas est intra libram unam  
& libras duas.

*Succi expressi vegetabilium* sunt medicamen- *Succi,*  
tum internum liquidum ex plantis, foliis  
radicibusve expressum.

Non quævis planta huic scopo infer-  
vire potest, sed solum succulentæ,  
saponaceæ, antiscorbuticæ, & harum  
solummodo recentes. e. g. radix tara-  
xaci, aut etiam ejus herba, & tunc  
dicimus: taraxacum cum toto, radix  
cichorei, endiviæ, lactucæ, portulac-  
cæ, beccabunga, nasturtium aquati-  
cum, chærophillum, acetosa, aceto-  
fella. *Succi* hi non quovis anni tem-  
pore, sed solum verno præscribun-  
tur, aliis enim temporibus succis con-  
servæ substituuntur.

*Dosis* est ab unciiis tribus ad quatuor  
usque, consueta autem est, quæ non  
excedat uncias quatuor. Exhibitentur  
vel soli, vel cum coindicatis, v. g.  
cum sale medio, syrupo radicum



quinque aperientium, cinnamomi,  
menthæ, chamomillæ, aut cum eleo-  
faccharis.

*Modus præscribendi optimus est, si  
jubeamus radicum aut herbarum re-  
cipere, quantum sufficit, ut exprima-  
tur inde succus unciarum tot vel tot,  
quamvis quidam quantitatem fu-  
mendi corporis determinent, cuius  
expressum succum jubent pro una vel  
duabus dosibus exhiberi.*

Cautelæ quoad succos notandæ :

1<sup>mo</sup>. Debili ventriculo succi non præ-  
scribendi, aut saltem non jejunis,  
sed post assumptum jentaculum con-  
suetum partitis vicibus.

2<sup>do</sup>. Si succos recentium herbarum  
non ferant, ferunt subinde harum  
conservas infusas, aut etiam cum  
fero lactis leniter decoctas : e. g.

R. Conserv. acetos. unc. 1.  
infund. in libr. 1. feri lactis,  
collatur. express. adde &c.

3<sup>to</sup>. Si nec hæc conservarum infusa  
ferant, tunc herbæ recentes co-  
quantur cum juseculo carnium, sed  
prius exprimantur, nisi sint herbæ  
communes culinares, ubi expref-  
sio superflua est. Germani vocant  
*Kräuteruppe*.

*Mixtura* est medicamentum internum li- *Mixtura*.  
quidum, sola variorum miscella paratum.

Datur mixtura simpliciter sic dicta,  
& concentrata.

*Materies excipienti miscenda* sunt: 1<sup>mo</sup>.  
omnia, quæ facile pulverantur, &  
minori dosi efficacia sunt. 2<sup>do</sup>. Mol-  
lia omnia, uti electuaria, roob, pul-  
pa, confectiones quædam molles, sy-  
rupi, balsama. 3<sup>to</sup>. Alia liquida con-  
tracta, uti essentiae, tincturæ, elixi-

ria;



ria , spiritus , olea essentialia , succi ,  
balsama liquida.

*Materies excipiens* est aqua fontana ,  
destillata , simplex , destillata aromati-  
ca , infusum , decoctum.

Tota quantitas mixturæ est ab unciis  
quinque ad octo vel decem , & nun-  
quam ultra libram , omni bihorio , tri-  
horio , aut hora , ut sumat vasculum  
unciarum duarum ad quatuor usque.

*Quantitas* mixturæ debet esse talis , ut  
intra viginti quatuor horas absumi  
possit , tum ob periculum corruptionis ,  
tum quia pro diversa morbi modifi-  
catione sæpius quidquam vel addi vel  
demi debet , unde tam in acutis ,  
quam in chronicis frequentatiorem  
mixturæ usum habent.

Non omni homini mixturæ præscri-  
buntur , sed plerumque infantibus ,  
delicatulis , debilibus , qui difficulter  
deglutiunt ; facilius enim liquida quam  
fo-

solida in ventriculum deferuntur. Cavidum demum, ne inertia, aut nimis pretiosa addantur. Sales quidem miscentur, sed illi, qui præsentibus aliis salibus ob gratiam acida mineralia, qualia sunt spiritus nitri dulcis, spiritus vitrioli &c. addunt, peccant contra regulas chemicas.

*Mixtura concentrata* alias etiam sub nomine guttularum venit. Quantitas unius præscriptionis solet esse uncia semis, ad unciam unam usque. Dosis nunquam excedat guttas centum; communiter præscribuntur guttæ viginti, triginta, bis, ter de die sumendæ. Materies plerumque jam parata in officinis existat, uti spiritus, essentiæ, tincturæ, olea, balsama; sed possunt etiam alia, uti resinæ, gummi-resinæ, camphora, &c. ex tempore spiritu vini solvi, & materiem pro guttis suppeditare.

*Emulſio* est medicamentum internum li- *Emulſio,*  
quidum, trituratione mediante menſtruо  
li-



liquido ex corporibus oleoso - macilagino-  
fis elicitum.

Emulsiones præscribuntur scopo refri-  
gerante , demulcente , emolliente.  
Materies excipiens est vel aqua sim-  
plex , vel decoctum vel infusum vel  
serum lactis ; excipienda vero nuclei  
& semina oleoso - mucilaginosa.

Emulsiones habent interdum adje-  
ctiones , uti e. g. syrups , sed præ-  
ter nitrum vix ullum salem addere  
oportet ; in genere nil adjici debet ,  
quod saporem aut colorem mutaret.  
Quantitas est ab unciis quatuor ad li-  
bram unam ; non ultra diem serven-  
tur , & æstate neque tamdiu.

*Eleæuaria.* Eleæuarium est medicamentum internum ,  
aut spissum , aut mellis consistentiam ha-  
bens , ex variis , syrupo excepto , constans.

Electuarii consistentia aut mollis aut  
craffa esse potest ; si molle habere  
velis , venit etiam sub nomine condi-  
ti ,



ti, dum condita ingrediuntur, aut theriacæ, &c.

*Quantitas* ab unciis duabus ad uncias quatuor. Dosis diversa pro ratione ingredientium, vel cochleare caffee, vel cochleare commune, vel magnitudine nucis avellanæ, moschatæ, jughantis. In crassis dosis fere semper est ad magnitudinem Fabæ, bis aut ter de die.

*Materies excipienda* est pulvis, extratum, pulpæ, essentiæ, olea, balsama; syrupi quantitas ad subigendum relinquitur pharmacopæo, & simpliciter scribitur, quantum satis, ut fiat lectuarium molle vel crassum.

*Eleœuaria* fere nunquam in acutis præscribuntur, sed solum in morbis chronicis, v. g. scopo tonico, stomachico, emenagogico, anthelmintico, antifebrili, nervino, &c.

*Bolus.*

*Bolus* est electuarium crassum, una vice sumendum. *Quantitas* boli est drachma semis, drachma una, & ad summum drachma una semis, quod jam fere inconveniens est.

Dantur hac forma opiate, uti theria-  
ca, purgantia & quidquid molle, pul-  
verulentum per se sumptum rodens  
vel nauseosum esset, aut deglutitum  
fauces offenderet. Præscribitur, ut su-  
matur semel aut bis de die. Non  
convenit hæc forma debilibus, febri-  
entibus, iis, qui mente destituti sunt,  
non inassuetis, non pueris.

*Elegma* *Eclegma*, *linctus*, *looh* est electuarium mol-  
le syrupo paulo spissius.

*Dosis* est arbitraria, nec certo tem-  
pore definita, sed in morbis oris &  
faucium fere ad libitum parvum co-  
chleare sumitur, in ore tenetur, &  
lente deglutitur. Sunt, qui linctus etiam  
in morbis pectoris & asperæ arteriæ  
præ-

præscribunt, sed certe vel frustra vel male.

*Ingredientia* sunt mollia omnia mucilaginosa, olea, syrupi, sed nunquam pulveres.

*Conditum, confectio, & conserva.* *Conditum* est quandoque vegetabile, præcipue autem radices melle aut saccharo condiuntur. *Confectio* est, si baccæ vegetabilium condiuntur, & *conservae*, si flores & folia iisdem condiuntur.


*Eleosaccharum* est oleum destillatum, ad aliquot guttas frustulo facchari exceptum.

*Pillulæ*, sive etiam *catapotia*, sunt medicamentum internum, in globulos circiter ad ciceris magnitudinem efformatum.

Præscribuntur in scopum purgantem, emmenagogum, roborantem, paregoricum, nervinum; in morbis acutis non dantur, sed solummodo in chronicis. Inserviunt huic scopo omnia

C

illa,



illa, quæ parva dosi efficacia & apta sunt, ut redigantur in globulos. Salia aut absint aut solummodo illa in forma hac præscribantur, quæ parca dosi efficacia sunt, ut e. g. flores salis ammoniaci. Scopo emetico pillæ non bene dantur, neque bene infantibus, & universim quærendum ex ægris est, an ferant hanc formam? cum multi dentur, qui pillulas glutire non valent. Dantur tamen, scopo paregorico.

*Materiem* suppeditant massæ officinales, sapones, resinæ, resinoſa extracta ſolida, ſucci inspiffati, pulveres i parca dosi efficaces, mercurialia, amara fætida.

*Excipiens* varium est, pro diversitate corporum constituentium, eorumque conſistentia: hinc syrups, mel, balsamum, therebintinæ, effentiæ, tinturæ, & spiritus.

Quan-



*Quantitas* unius pillulæ fit a grano se-  
mis ad grana tria.

*Dosis* a pillula una ad sex, raro ad  
octo.

*Massa pillularis* non fit ultra unciam  
unam, sed neque nimis pauca, cum  
in morbis chronicis, in quibus sœpif-  
fime præscribuntur, mutatio, hinc no-  
va indicatio non nisi post plures dies  
speranda sit.

Moris est, ut pillulæ obducantur auro  
vel argento, sed certe non convenit,  
cum hæc obductio vim medicamenti  
non adjuvet, & haud raro assumtæ  
ventriculo non solutæ, integræ per al-  
vum eliminantur tales pillulæ, quod  
quis Viennæ experimento cum pillu-  
lis hoffmannianis instituto patefecit;  
nam viginti quatuor assumtæ omnes  
immutatæ in excrementis alvinis re-  
periebantur.

*Trohisci*

*Trohisci* aut *pastilli* sunt medicamentum solidum siccum, comparatum ex materia sicca in pulverem redacta, & cum liquido aliquo in pastam coacta, divisa in parvas portiunculas, variæ, excepta globosa, figuræ, ut dicere possis pillulas non globosas.

Præscribuntur in morbis oris, fauci-  
um, capitis, asperæ arteriæ, in tuf-  
si gutturali, in fætore oris a denti-  
bus cariosis, scorbuticorum, phytifice-  
rum, venereorum, salivantium, aut e-  
tiam non adhuc salivantium ab ulce-  
re venereo, & eorum, qui salivationi  
proximi sunt. Item scopo stomachi-  
co, pueris scopo purgante, anthel-  
mintico. Item externe pro suffumigiis,  
Excipiens est mucilago. Balsamus,  
rarius syrpus, mel nunquam. Quan-  
titas unius trohisci est a granis tri-  
bus ad drachmam semis. Tota om-  
nium quantitas ab unciis duabus ad  
quatuor.

*Mor-**Mo  
sic  
exsi  
tab  
cieb**Re  
ext  
ene  
tap  
ung**Ba  
que  
abs*



*Morsuli* sunt medicamentum internum, *Morsuli*  
siccum, quadratæ ut plurimum figuræ,  
exsurgens ex faccharo in consistentiam  
tabulatam cocto admixtis variis aliis spe-  
ciebus.

Tabulæ & rotulæ solummodo forma  
discrepant, proprietatibus æquales, ut  
debeant esse fragiles, odoris & sapo-  
ris grati, in ore deliquescentes.

Dosis a scrupulo uno ad drachmam  
unam vel duas. Et pueris, & saepe  
adultis præscribuntur, scopo antisca-  
bioso, antisyphilitico.

*Remedia externa* vocantur, quæ corpori *De remediis*  
externe applicantur, vel forma balnei,  
enemathis, adsperginis, epithematis, ca-  
taplasmatis, suffitus, emplastri, cerati,  
unguenti, balsami odorati, linimenti, &c.

*Balneum* est medicamentum externum, *De balneis,*  
quod liquoris vel vaporis humidi specie *corumque*  
*divisione.* absque vehiculi vel injectionis interventu



externam corporis superficiem alluendo  
opem præstat.

Balneum est vel calidum, vel frigidum, simplex aquæ dulcis, balneum minerale, vinosum, medicatum quo-  
cunque modo, vaporosum, embro-  
che, & hoc iterum calidum vel fri-  
gidum, simplex vel medicatum, bal-  
neum arenæ, cinerum clavellatorum,  
falis marini, luti thermalis.

*Balneum  
calidum-*

*Balneum calidum* subinde dicitur semicu-  
pium, infessus ex simplici aqua, vel mi-  
sta cum octava parte lactis, sæpe etiam  
uno altero fasciculo herbarum incoctarum  
medicatum redditum.

*Cautelæ* quædam, sub quibus balnea  
calida prodeesse possunt :

1<sup>mo</sup>. Non sint nimis calida, nisi ipso  
calore febrim excitare velis.

2<sup>do</sup>. Non adhibeantur crudis, qui fa-  
burram in ventriculo aut intestinis  
habent.

3<sup>to</sup>. Non iis, qui febri laborant.

4<sup>to</sup>. Non plethoricis ob stimulum caloris & rarefactionem humorum.

5<sup>to</sup>. Non iis, qui fluxum sanguinis præternaturalem patiuntur, exceptis fæminarum catamæniis.

6<sup>to</sup>. Non statim post prandium replete ventriculo, sed mane aut vesperi concoctione peracta, nam error contra has regulas sæpius apoplexiam induxit : hinc est, quod omnifere anno sat multos numeremus in thermis Padanis prope Viennam apoplectice mortuos.

Adnotes, moris esse, passim eos, quibus balnea applicare volumus, prius purgare iisdemque venam secare. Utut crudos purgare conveniat & plethoricis venam secare, hæc tamen consuetudo veluti regula generalis mala est & nociva.



*Pediluvium*, seu balneum pedum & crurum passim adhibent in cephalagia, sed quis non videt, id nil proficere in cephalagia plethoricorum & febrentium, imo & nocere quam maxime augendo febrim & humores rafaciendo. Frustra quoque adhibentur pediluvia pro debellanda cephalagia nervosa; prosunt autem in cephalagia ex impetu humorum versus encephalon in rigiditate corporis tepide applicata, & molliendo tollunt resistentiam nimiam artuum inferiorum. In hernia incarcerata, in inflammatione & entherithide pediluvium saepe unicum optimumque remedium est, sed attendendum semper, ut tepidum, non vero calidum adhibeat.

*Balnea frigida* optimum sunt tonicum, adhibenda facile, ubi reliqua tonica adhiberi non possunt; nam datur irritabilitas quædam cum debilitate, in qua lenia tonica absque stimulo & acrimonia, uti balnea frigida sunt, summopere indicantur.

Pro-

Prosunt hæc balnea post hæmoragias exanthlatas, in fæminis post menses nimios, in consuetudine abortus ex nimia laxitate & debilitate vasorum uterinorum, in mensibus suppressis, morbo hypochondriaco, hysterico sine materie, in debilitate post longos morbos aut nimias evacuationes sanguinis inducta, in proclivitate ad defluxiones, in rachitide infantum, quo in casu sæpe unicum præbent remedium, cum alia indicata aut non sufficiant, aut saltem non ea quantitate, ut inde quid sperare possis; demum summopere prosunt in catharrho, & tussi catharrhosa, serosa, aut biliosa; sed cave a frigidis in omni inflammatione.

Vide jam amplissimum eorum tot in morbis usum; sed & topice applicata in contusionibus egregia præstant, cum fugillationem prohibeant, factam, si non jam nimia fuerit, retropellant; quin in vulgo mos est, in contusionibus infantum puerorumve frigi-



da mox applicare. In contusione capitis & sic dicta cerebri commotione insignis frigidæ usus majorem prohibentis afflumum cum, vel sine vulnere, in statu soporoſo, apoplectico, etiam in trepani necessitate.

Modus applicandi frigidam hoc in caſu eſt ſequens: Panum aspergunt ſa- le ammoniaco & nitro pro neceſſitate, & magnitudine loci contufi; hunc applicant capiti & aspergunt deinceps aquam frigidam, ut ſolutio in capite fiat, & ſingularem illum frigoris ſenſum parti affectæ imprimat, quem habemus, dum haec ſalia in ore ſolvuntur ſaliva. Hoc reliquis indicatis non neglegetis, egregiam ſane opem fert. Æque magnus ejus uſus eſt in phrænitide & mania a vigiliis.

Modus autem applicandi balnea fri- gida triplex eſt:

I<sup>mo</sup>. Frictio & ablutio in delicatulis, infantibus, pueris & inaſſuetis, qui



qui frigus ab initio ferre non pos-  
funt.

2<sup>do</sup>. Infessio, ubi æger perfricto pri-  
us & abluto corpore per qua-  
drantem vel dimidiā horæ par-  
tem balneo insidet, vix non natu-  
rali corporis calore tepidiori, &  
dein successive per proprium epi-  
stomium aquam hanc tepidam e-  
mittit, quam semper frigida re-  
stituit, donec is, qui initio inside-  
bat balneo tepido, nunc sit in fri-  
gido. Alter adhuc infessionis mo-  
dus est, & quidem communior,  
nempe perfricto toto corpore des-  
cendunt quidem in aquam statim  
frigidam, sed lente & successive,  
dum dein, quando toti in aqua  
sunt, sese continuo movent, na-  
tando vel quomodocunque.

3<sup>tio</sup>. Immersio ( Stürzbad ) quæ cum  
& motum & frigus conjungat, fa-  
cile optima est; caveant solummo-  
do, ne pectore primum aquam  
con-



contingant. Generatim vero balneent jejuni, & non plethorici, nec hæmoptici.

Aqua frigida aut glacialis affatim hausta maximi quoque usus est in febribus biliosis, nam vomunt inde & dejiciunt, & dein potenter sudant. Prohibet aqua sic sumpta transitum febris biliosæ in putridam, imo prodest etiam in ipsa duplice putridarum specie, tonica sua vi, & in debilitate conjuncta cum illa hypochondriacorum aut studiis onanave exhaustorum irritabilitate, quibus utut per debilitatem indicatissimum decoctum corticis aut medicamentum martiale ob stimulum nocet, quo in casu unica saepe salus in aqua frigida reponitur, quæ efficit non nunquam, ut imminuta successive nimia irritabilitate, ægri ferant etiam indica ta prius dicta. Agit roborando & stringendo solida, & hac ratione etiam impacta solvendo; hinc exobesi levantur conjuncto simul corporis exercitio. Post balneum omnes experi-

un-



untur alacritatem quandam, movendi facilitatem & auctum corporis calorem.

*Balneum vaporosum* plus præstat, quam calidum & tepidum; vim habet maxime emollientem in rigiditate articulorum, eorumque immobilitate, in febre rheumatica in articulo defixa, cuius tumorem sæpe omnibus aliis irresolubilem, balnea vaporosa non nunquam ex integro tollunt; idem præstant in tendinum accurtatione & immobilitate a longa quiete. Resolvunt potenter tumores glandularum, mammarum a congesto lacte, & tollunt stricturam vasorum in impotentia secernendi & excernendi lac. Item in morbis faucium, æsophagi & pulmonum, præcipue in angina pectoris, nisi febris universalis adsit in toto corpore, nam tum febrim augendo nocet; item etiam in exostosi rebelli, si reliqua e. g. mercurialia non negligantur.

Paratur balneum hocce 1<sup>mo.</sup> ex aqua simplici, dum vaporosa parte linteo tecta excipitur. 2<sup>do.</sup> ex aqua & acetato.



to. 3<sup>to</sup>. Ex aqua & herbis aromaticis. 4<sup>to</sup>. Ex aqua & adjecto per vi-ces sale ammoniaco, calce viva, spi-ritu salis ammoniaci, vel adjecto a-ceto & spiritu salis ammoniaci.

*Embroche* potius scopo resolvente quam emolliente, & etiam sudorifero præscribi-tur; fit autem, ubi aqua altitudine qua-dam excepta in partem decidit.

Altitudo est unius, duarum, trium contignationum, subin etiam major; quo altius enim delabitur aqua, eo major speranda inde est virtus.

Materies est vel simplex aqua, vel a-qua thermalis, vel aqua medicata, fri-gida vel calida, pro diverso scilicet scopo varia. Scopo discutiente vel aqua thermalis vel simplex medicata reddita accipitur; scopo emollientissimo fæpe oleum sumitur, vel aqua tepi-da simplex; scopo roborante frigida.



Prodest in artuum rigiditate , quomo-  
docunque nata sit five per vulnus , five  
per contusionem , longum decubitum ,  
limpham inspissatam , in tumore ar-  
thritico & immobilitate ex febre va-  
ga orta ; post apoplexiam , si artus  
quidam paraliticus manet . Mania quo-  
que per embrochen frigidam curata  
legitur .

Medicata vario modo redditur : pos-  
funt solvi in aqua globuli martiales ,  
vel spiritus sulphuris , ejus hepār ,  
vel sal ammoniacum , ejusdem salis  
spiritus , vel sapo venetus , vel infun-  
duntur aut incoquuntur herbæ , &c.  
prout scopus fuerit vel roborandi ,  
discutiendi , solvendi , aut emolliendi .

Si embroche uti velis , partem prius  
præparare debes , nempe fricando  
eam unguento variæ indolis pro va-  
rio embroches scopo ; sic e. g. si em-  
broche sit resolvens , partem unguen-  
to resolventi e. g. ex oleo & spiritu  
salis



falis ammoniaci perfices necesse est  
prouti ante balneum.

*Balnea artificialia* sunt, ubi aquæ variis  
medicamentis medicatæ redduntur.

1<sup>mo</sup>. Balneum medicatum fit, si chalybs diversis vicibus in aqua extinguitur, aut aqua fabrorum ferriorum accipitur.

2<sup>do</sup>. Si sulphure & calce solutis imbutitur & species balnei sulphurati efficitur.

3<sup>to</sup>. Si solum hepar sulphuris accipitur: e. g. hepatis sulphuris fume libram unam, coque in mensuris tribus aquæ, & misce aquæ pro balneo; sed pretiosius est, quam naturale Badense.

4<sup>to</sup>. Si decoctio & herbarum infusio medicata fit: e. g. herbis cephalicis, discutientibus vel emollientibus.

etiam

5<sup>to</sup>.



5<sup>to</sup>. Si aqua cum lacte commiscetur ; sumunt plerumque octavam partem lactis ; sed balneum hoc præter emollientem vim nullam habet.

6<sup>to</sup>. Paratur etiam balneum artificiale ex sedimento thermali , & frequenter adhibetur ; sumitur nempe sedimentum , illinitur parti affectæ , & exponitur soli , iterum madefit & denuo exponitur . Varium est hoc sedimentum , vel argillaceum pingue vel martiale , sed roborando & stringendo semper discutit . Hinc ejus usus est in hydrope , leucophlegmatia , in cruribus varicosis , in ulceribus fætidis , si nempe hydrops topicus sit : e. g. crurum pedumve , femorum præsente laxitate topica residua ex hydrope universali .

Nota , crura varicosa post applicationem sedimenti etiam fasciis ligari . Ulcera plorantia instar fon-

—————

tculi s̄epe non curantur , nisi applicatione hujus sedimenti.

7<sup>mo</sup>. Balneum arenæ , cui calefactæ pedes &c. immerguntur ; idem fere præstat , ac balneum sedimenti in hydrope , leucophlegmatia topicala.

8<sup>vc</sup>. Balneum cinerum calidorum , e- jusdem cum præcedentibus usus.

9<sup>no</sup>. Balneum salis marini idem præstat , ac mox præcedentia.

10<sup>mo</sup>. Balneum terræ , si homo in fos- sam deponitur , & ad caput usque terra recenti obruitur. *Van Swieten* multa de eo prædicat , & ter in eodem ægro adhibuit pleno cum effectu ; sed certe alia quoque medicamenta addidit , quibus forte plus tribuendum. Febres quædam hefticæ hac methodo curatæ leguntur : agit forte humore & frigore.

II<sup>mo</sup>.


**11<sup>mo.</sup>** Balneum aereum , si quis nudus aut seminudus aeri exponitur : species balnei frigidi solo frigoris sensu utilis.

**12<sup>mo.</sup>** Balneum vinaceum ferme sub iisdem conditionibus , ac balneum arenæ adhibetur.

**13<sup>to.</sup>** Balneum fæcum vini scopo roborante discutiente,

**14<sup>to.</sup>** Balneum mercuriale , ubi ad triginta duas aquæ mensuras adhibetur uncia semis mercurii sublimati corrosivi. Hoc balneo topbos inveteratos nulla arte tollendos curavit magni nominis medicus in servo domestico.

**15<sup>mo.</sup>** Balneum fimi , seu commoratione in stabulis inter fimum. De spurco hoc remedio vix operæ pretium est , ut sermo fiat. Leginus tamen applicatum in tetano maxillæ , qua vi ? certe non explicant.



Fimum vaccinum adhucdum vul-  
gus usurpat, sed utique scopo e-  
molliente multo præstantiora ha-  
bemus.

*De enemate.* Quidquid per anum aut forma liquoris  
aut vaporis, aut fumi injicitur, *enema*  
audit.

Dantur enemata scopo purgante, e-  
molliente, nutritive, cardiaco, an-  
thelmintico, antifebrili, anodino, chy-  
rurgico.

1<sup>mo</sup>. Scopo eccoprotico enemata fiunt  
ex solutionibus mannæ, mellis com-  
munis aut mercurialis, facchari thom-  
mæi, salis communis aut amari, ad-  
jecto oleo olivarum, vel lini &c. Li-  
quida pro excipiente sumuntur aut  
decoctum hordei, althææ, furfurum, aut  
juscum, aut aqua tepida. Hæc cly-  
mata domi parabilia sunt, & fere nun-  
quam ex pharmacia præscribuntur.  
Quantitas in adulto unciæ decem ad  
libram unam; hanc vero nunquam  
excedit.

2<sup>do</sup>.

2<sup>do</sup>. Scopo purgante. Hic possunt adhiberi omnia ea , quæ prius dicta sunt, sed majori dosi vel aliis efficacioribus adjectis. Sed si aliquoties alvus purgari debet, adjiciantur alia composita , uti electuarium hieræ picræ , inter cujus ingredientia radix afari & aloes sunt ; electuarium purgans , &c. sed quadrupla quantitate dosis illius, quæ ore fumitur. Etiam tartarus emeticus ad grana decem vel duodecim in aqua tepida solutus saepius clysmatibus additur , in obstructionibus nempe duris stercoreis , ubi emollientia incassum jam tentata sunt. In herniis vero incarceratis , recentibus parvis solum enemata emollientia & cataplasmata ad abdomen cum antiphlogisticis interne adhibitis usuiveniunt.

Huc pertinent & enemata ex fumo tabacci in herniis incarceratis multo- ties laudata , sed vix unquam nisi in inveteratis applicanda sunt. Fre-



quentior eorum usus est qua excitans  
apoplecticis semimortuis.

3<sup>to</sup>. Scopo emolliente sumuntur iuscula non salita, oleum amygdalinum, olivarum, lini, emulsum amygdalinum, decoctum althææ, decoctum falep, &c. solutiones gummi arabici, thragacanthæ, mucilaginis semen cydoniorum. Quantitas libram fémis non excedat, & hoc scopo omni bihorio repetatur, cum pro grata fermentatione serviat in casu indicato.

4<sup>to</sup>. Scopo nutritive iuscula, non lac adhiberi debent, quia hoc multas fæces relinquit, vel iuscula cum vitello ovi. Indicantur in apopleticis, qui deglutire non valent, in anghinosis, in seyrrho ventriculi, in pyloro cartilagineo, &c. detur omni bihorio libra fémis.

5<sup>to</sup>. Scopo carminante solent dari iuscula chamomillæ in morbis dolorofis. In morbis chyrurgicis dolorificis, uti  
e. g.

e. g. in thenesmo dolorifico post dysenteriam sane non laudabilis mos est chyrurgorum, unciam semis theriacæ andromachi, & therebinthinam vitello ovi subactam injicere; quisque enim effectum corporis utriusque, utpote stimulantis perspicere potest; ejus loco igitur potius quadrupla dosis laudani liquidi Sydenhamii injicitur.

6<sup>to.</sup> Scopo anthelminthico quadrupla quantitas eorum, quæ alias eodem scopo ore sumuntur, præscribi debet; multa horum vel prius infundi vel decoqui poterunt, sed facile patet, hæc enemata solum ascarides expellere. Hoc scopo etiam oleosum injici potest, sed infusum nicotianæ non adhiberi debet, quia ut emeticum hypercatharsim movet.

7<sup>mo.</sup> Scopo antifebrili. Illis, qui decoctum aut pulverem corticis five ex impotentia, five ex idiosyncrasia deglutire non possunt, hoc decoctum & forma enematis & cataplasmatis ad-

D 4 pli-



plicatur. Dosis est libra semis, sed non ultra.

De clysmatibus adhuc notandum, illa omni ætati convenire, præcipue vero infantili, cum plerorumque morborum hujus ætatis fedes in abdomine sit. Quantitas scopo proportionata sit. Enema diutius retinendum, quantitate libram semis non excedat. Clysmata emollientia præstant aliis omnibus in febre inflammatoria & herniis incarceratis, in quibus ore ingesta medicamenta parca sint oportet.

Enemata frigida convenient in prolapso recti, in hæmorrhoidibus internis laxis, in hypochondriasi & irritabilitate nimia; ubi etiam gelatinæ frigidæ optime exhibentur.

*De Epithe-* Quidquid corpori externe adponitur: quo-  
*mata.* cunque titulo sive fomenti, cataplasmati  
&c. sive emplastri, unguenti, synapismi  
&c. *epithema* est.

1<sup>mo</sup>. *Fomentum aut siccum aut humi-* *Fomentum.*  
*dum est: siccum sunt sacculi ex farina*  
*fabarum, ervi, &c. ex floribus rosa-*  
*rum, sambucci, chamomillæ adje-*  
*cto sale, nitro, cineribus vel campho-*  
*ra. Interdum vero sacculi simpliciter*  
*floribus implentur, & dein externe*  
*illis camphora adfricatur. Scopo dis-*  
*cutive fæpe solo sale marino one-*  
*rantur.*

Ad fomentum siccum etiam pertinet  
 cucupha, quæ est fomentum siccum  
 capitis vel ex herbis, v. g. lavandu-  
 læ, rorismarini, salviæ &c. vel ex  
 floribus paratum. Adhibetur saepius  
 in rachitide, hydrocephalo &c. In  
 hydrope non nunquam integri lectu-  
 li inde parantur.

*Fomentum humidum* est liquor calidus  
 aut emolliens aut discutiens, varioque  
 modo applicatur, vel mediante panno,  
 vel linteo quadruplicato, vel spongia,  
 vel denique vesica bubula semireple-  
 ta calida.



Materies est aqua calida simplex , lac calidum , lac medicatum per herbas vel saponem scopo nempe emolliente & discutiente simul. Scopo emolliente decoctum specierum emollientium , panis oleo lini imprægnati infervit , discutienti muria salis , vinum , oxicratum , &c.

*Fomentum vaporosum* est aquæ vapor collectus & parti affectæ applicatus. Emollientia inutiliter aquæ incoquuntur , si ejus vaporem velis applicare , cum emollientium vis non sit volatilis. Inepte quoque suadetur pleuriticis & peripnevmonicis vapor ore excipiendus , cum hi eum non ferunt.

*Cataplasma.*

2<sup>do</sup>. *Cataplisma* est epithema molle , pultiforme , vario modo applicandum. Paratur ex herbis , floribus , farina v. g. semen lini , etiam ex pane. Coquuntur hæc in aqua simplici , latè , lixivio , oxicrato. Applicatur cataplisma scopo ut plurimum emolliente ad partem inflammatam benigne re-

resolvendam, & scopo etiam matu-  
rante, si major inflammatio & inci-  
piens suppuratio adsit; sic & scopo dis-  
cutiente ex leniter irritantibus post  
inflammationem fractam, sed perstan-  
te laxitate vasculorum, e. g. si in in-  
flammatione oculorum dolor, tensio,  
& pruritus cessaverit, persistaret autem  
adhuc rubedo, tunc indicatur cata-  
plasma discutiens.

*Usus frequens* in pleuritide & peri-  
pneumonia, & praestat potius, quam  
sinapis aut vesicans. In hepatiti-  
de indicatissimum, ubi alii frictionem  
etiam mercurialem laudarunt, sed  
peffime, nam ubi talis frictio prodef-  
se posset, deberet esse non hepatitis,  
sed infarctus lentus hepatis sine febre  
in homine obambulante.

*Cautelæ hæ sunt:* 1<sup>mo</sup>. Cataplasma  
non sit nimis calidum, calor enim  
febrim auget. 2<sup>do</sup>. Non sit siccum  
aut subficcum, sed humidum & va-  
pidum, ut pars affecta quasi vapore  
ca-



cataplasmatis liquefacit. 3<sup>to</sup>. Continuo debet esse applicatum, ita, ut remoto primo alterum statim in promptu sit; durare potest unam, si vero dorsi crassitatem habet, per duas horas. 4<sup>to</sup>. Species in pulverem debent esse redactæ.

*Epispasticum* est species cataplasmatis ex stimulantibus, attrahentibus param; vocatur *synapis*: si id farina synapis ingrediatur, quæ inflammationem conciliat.

Horum usus est 1<sup>mo</sup>. Scopo excitante in vi vitæ languida. 2<sup>do</sup>. Scopo derivante, attrahente, ubi autem parum præstant, quamvis maximus horum abusus sit in omni febre, cephalagia, &c.

Locus applicationis utcunque est planta pedis, sed melius foret, si applicarentur ad furas internas, femora interna.

In-

Ingredientia sunt fermentum panis,  
sal marinus, farina seminum synapis,  
quæ omnia cum aceto in pastam ad-  
iguntur, quæ nudæ parti applicatur.  
Alius applicandi modus est, ubi totum  
tenui syndone involutum applicatur;  
sed prior sane melior, quia citius o-  
peratur. Interim brevi siccescit, &  
difficulter avellitur, adeoque lacte te-  
pido emolliri debet.

*Frontale* est epithema ad frontem ex  
refrigerantibus & adhuc frigidis ap-  
plicandum. Usus ejus frequentissimus  
in cephalagia febris biliosæ ardentis.  
Constat ex placenta rosarum, & ace-  
to. Ex tempore parari potest ex mi-  
ca panis & aceto, melius cum aqua  
frigida & nitro, vel sale ammoniaco.

*Colyrium* est remedium variis oculo-  
rum morbis medens, varia itidem  
forma applicandum. <sup>1mo.</sup> Forma li-  
quoris instillandi, uti sunt aquæ oph-  
thalmicæ. De his nota, (a) pleras-  
que nocere, cum sint ut plurimum  
acres & rodentes. (b) non contine-  
ant



ant pulveres , nisi in aqua penitus solubiles , cum alias mechanice laedant . Si vero velis , ut vellicent , pulveres quidem ingredi possunt , sed tamen tenuissimi . Instillantur ægris in dorso cubantibus . 2<sup>do</sup>. Forma liquoris pro lotione , e. g. post inflammationem sublatam , rubidine ex laxitate vasorum permanente , uti est solutio lythargirii . 3<sup>tio</sup>. Forma balnei , quod multiplex esse potest . 4<sup>to</sup>. Forma unctionis , si ad tollendas maculas inungitur , v. g. unguentum mercurii præcipitati rubri . 5<sup>to</sup>. Forma cataplasmati emollientis , discutientis . 6<sup>to</sup>. Forma pulveris ophthalmici , qui infusflatur oculo , adeoque levigatissimus esse debet .

### §. III

#### *Selectus & divisio medicamentorum.*

Remediorum catervus apte dividitur in sex classes magis generales , quarum